

transibat, non potest intendere remedium, se ultra dimidium læsum esse, *l. 2. C. de resc. vend.* quia thesaurum non possederit, ergo nec vendiderit, & sic lædi non potuerit. Enoch Glæs. *d. Diss. de thesauris th. 31. Sixt. 2. cap. ult. n. 44.* Hotoman. *consil. 23. n. 17. addit,* id communi omnium DD. sententia receptum esse dicit. Roman. quoque *in l. 36. de verbor. obligat* tradit venditorem hoc remedium posse intentare. Sed Francisc. Conan. *comment. lib. 3. c. 4. n. 4.* in ea est opinio, thesaurum ex æquitate inter emptorem & venditorem esse dividendum.

Th. 17.

Thesauros per funesta scelera in fundo oppignorato cum Jure antichriseos inventus non creditori sed debitori conceditur. Sic etiam proprietario ejusmodi thesaurus occupatus cedit, ac nihil de hoc usufructuarius accipit: Thesaurus enim in fructu non computatur, *l. 7. §. 12. Sol. matr. l. 63. §. 3. de A. R. D. Guilelm. Benedict. in repet. c. Raynutius in verb. Coetera bona. n. 30.* dicit, *thesaurum in fundo usufructuario inventum quoad usum spectare ad usufructuarium, quamdiu vivit, & demum usufructu finito una cum fundo proprietario esse restituendum, tamen id erroneum esse*